

1585

*Francisci  
Alenconii  
Ducis obit-  
us.*

*Fœdus in-  
ter Guisios  
& alios  
Gallos pro-  
ceres.*

quiescentibus, omnia Europæ arma in Belgium confluxerant, in quo non minori virtute, quam felicitate Alexander Dux Parmensis pro Catholico Rege acriter dimicans, suos militiæ progressus egregiis actionibus nobilitaverat. At in Gallia, Francisco Alenconio, Henrici Regis fratre, vita functo, jam ex erumpere suspiciones cœpere, quæ ambigua atque incerta pace obtectæ, potius consopitæ, quam extinctæ fuerant; Gallorum ad regni successionem erectis animis, cum Henricus Tertius ex Valesia gente absque liberis tantum superstes esset; atque in spem regni proximus Cantabrorum Rex, Vandomi Princeps, ex Borbonia familia, Salicæ legis jure, uti regiæ stirpis agnatione Henrico Tertio propinquus haberetur: cui obstat videbatur, quod a catholica religione alienus, Ugonottarum se ducem gereret, nemini ad regium fastigium, nisi Catholico aditu patente; quod ita institutum sit, ut cum Reges consecrantur, Catholicam Romanam religionem defensuros jurejurando polliceantur. His permoti Guisiani Principes, atque ex eadem in Borbonia gente nonnulli, arctum inter se fœdus, jurejurando interposito, percussere, quo nunquam, Henrico defuncto, Navarræo, aut alicui, qui a præsca religione descivisset, regnum permisuros obstringebantur. Fœderis ineundi causas esse vulgabant, quod Navarræ Rex cum in Gallia tum extra milites cogeret; arcis una cum aliis fœderatis ex postremæ pacis conditionibus non restitueret; legationes ad Germanos Protestantes Principes mitteret, eosque ad opprimendam catholicam religionem solicitaret; Catholici omnes, in primisque Henrici Tertiæ ministri opprimentur, ut, iis amotis, tutius in proventus ecclesiasticos invaderet, omnibusque regni muneribus potiretur; conventu Blæfas magna spe stabiendiæ pacis vocato, Henricum, catholicam religionem incolumem servare admittentem, malevolorum hominum consilio de sententia dejectum; qui Catholicorum potentiam imminuendam, ecclesiasticos decumis atque aliis vectigalibus fatigandos censerent.

His, atque aliis de causis, quæ prolixæ, scripto vulgato, exaraverant, Carolus Cardinalis Borbonius, e regio stemmate Henrico propinquior, Galliæ primas, cuius præcipuum munus est, ne quid catholica religio detrimenti patiatur, cavy-

re;